



# DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

de

*Iure Saxonico et Lubecensi Ducatu Holsatiae  
iuxta et Ciuitate Lubecensi, qua repraesenta-  
tionem in successione collateralium,  
exulantibus.*

## §. I.



Quamquam ea est Germanorum ab omni aevo  
laus et gloria, vt peregrinos populos inque  
iis etiam Romanos, quos patrias infestan-  
di prouincias plus semel incescit libido, suis  
non prohibuerint solum finibus fortissime,  
hosque transgressos tandem felicissime repulerint, sed reli-  
ctis etiam paternis laribus in alia Europae regna penetraue-  
rint audacissimi, Italiamque et ipsum mundi caput Romam  
in potestatem redegerint suam; mirari tamen subinde subiit,  
qui factum, vt victores superioresque armis legum exoti-  
carum impetibus insultibusque reprimendis vsque huc exti-  
terint prorsus impares, atque institutorum patriorum fere  
pertaesi corpori legum Iustinianearum se mancipauerint.  
Ferreis quasi compedibus istius morum priscorum hostis,  
postquam satis diu nos vrsit, eripere patriam privati homi-  
nes studuerunt, viri de iurisprudencia immortaliter meriti,  
B dum

Ingressus.  
Pertenuis  
spes est, fore,  
vt legibus  
peregrinis  
Germania  
vnquam pe-  
nitus purge-  
tur.